

DISSSERTATIO MEDICA
SISTENS
METAMORPHOSIN
HUMANAM,

QUAM,
CONSENT. NOB. ET EXPERIENT. FAC. MED.

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO ATQUE GENEROSISSIMO

DOM. DOCT. CAROLO

VON LINNE,

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI,

SÆ RÆ M:TIS SUEC. ARCHIATRO,
MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.
ACAD. SCIENT. PARIS. PETROPOL. UPSAL. HOLM. BEROL. IMP.
N. C. LOND. ANGL. MONSP. TOLOS. FLORENT.
EDIMB. BERN. NIDROS. CELLENS SOCIO.

AD PUBLICAM CENSURAM MODESTE DEFERT

**JOHANNES ADOLPHUS
WADSTRÖM,**

HOLMENSIS.

IN AUDIT. CAROL. MAJ. DIE XVI. DECEMBR.

ANNI MDCCCLXVII.

HORIS ANTE MERID. SOLITIS.

UPSALIÆ,

LITTERIS JOH. EDMAN, REG. ACAD. TYPOGR.

*In nova fert Animus mutatas dicere formas
corpora.*

OVID.

MONSIEUR
CHARLES NICOLAS
WADSTRÖM,

ASSESSEUR AU PARLAMENT DU SVEDE

MON TRÈS HONORÉ PERE.

Recevés Mon très honoré Pere, ce petit ouvrage Académique, comme un témoignage de mon respect. Il n'est pas proportionné, ni aux bontés que Vous avés eu pour moi des ma plus tendre enfance, ni à la vive reconnoissance, dont j'en suis penetré; mais j'espere, que Vous jugerés de son étendue

tendue par l'impossibilité, ou je me trouve de l'exprimer.
Je me borne aux vœux les plus ardents, pour votre con-
servation, & aux assurances du profond respect avec lequel
j'ai l'honneur d'être pour toujours,

MON TRÈS HONORÉ PÈRE,
VOTRE

Très humble & très
obéissant fils
JEAN ADOLPH. WADSTRÖM.



D. D.



§. I.

Quemadmodum rota perenni flumine circumagit, ita quoque tempus omnia viventia perpetuo gyro volvit, atque in morem Euripi sursum & deorsum rapit. Ab tenuibus principiis orta ad summa tendunt, & quidquid ad summum pervenit ad exitum properat, & sic tempus omnia mutat, nihil stabile, nihil perpetuum: *Per varios præceps casus rota volvitur ævi.* In tota rerum natura id perspicue animadvertere possumus: Singuli Dies, & Anni singuli mutationes varias subeunt. Plantæ e terra orientes omnium primo herbescientia fundunt folia, mox adultæ florescunt, fructum proferunt & tandem marcescunt; Natura deinceps illas revocat, & in veterum, quo sepultæ jacent, locum alias, novis veluti delestib; substituit, quæ eandem properabunt viam, & ad metam eandem: & sic renovat annos Titan, faciemq; ter-

A

ræ.

ræ. Omnibus quoque nobis, qui Homines sumus, eandem calcanda est viam, & tempori cedendum, quod omnia destruit. Etenim nosmet ipsos qua formam & strukturam, qua vires, qua ingenium, immo etiam qua Anatomiam, qua Physiologiam, Diatam, Morbos, & medecinam, immutat. Cumquæ hæc mutatio atque varietas tantum adferat momentum ad nostram vitam necessarium, Judicavi pro modulo ingenii scalas rotæ temporis humani dimetiri, potissimum quod illas non accurrate dimensas esse in scriptis medicorum observo, cum tamen illis mensuris haud facile carere queant. Hoc dum ago, duæ primariæ circumstantiæ in mentem mihi veniunt: una nimirum *Temporis* consideratio respectu mutationum, quas universim in natura prodit; altera vero respectu *Corporis* humani, si hoc nimirum contemplemuri qua mutationes, quibus, pro ratione temporis, obnoxium est.

§. II.

Astronomos numero duodenario temporis spatium plerumque finisse reperio; dies noctesque in duplaci duodenarium, & annus in 12 menses dispescitur, immo, spatium quoque vitæ Hominis in duodecim ætates aptissime dividi potest.

DIEM Civilem duplici *horarum* duodenario absolvi modo diximus; quum autem in nostris regionibus dies inter se æquales non sint, ut apud illos, qui sub æquate ore vitam degunt, diem, quæ solstitio æstivo longissima est, ob oculos nobis ponimus, eamque quantum fieri potest, sequenti ratione in partes tribuimus.

Horæ.

1 ANTELUCANUM	<i>bor:</i>	1
2 DILUCULUM	2. - 3.	
3 AURORA	4. - 5.	<i>picta.</i>

4 SOL ORIENS	6. - 7.	Serena.
5 JENTACULUM	8. - 9.	incalescens.
6 ANTEMERIDIANUM	10. - 11.	Calida.
7 MERIDIES	12. - 1.	Calidissima.
8 POMERIDIANUM	2. - 3.	Calidissima.
9 CÆNA	4. - 5.	Temperata.
10 SOL OCCIDENS	6. - 7.	Frigidula.
11 CREPUSCULUM	8. - 9.	Frigida.
12 NOX	10. - 11.	Gelida.

ANNUS eodem modo in duodecim dispelicitur *Menses*. Utque inferiora sequamur, secundum *Calendarium floræ* illum distribuimus; nam quod est superius, est sicut inferius, ut Alchemistarum sequar morem loquendi. Anno itaque vertente sequentes connumerari possunt menses.

1. GLACIALIS. Nix discedit a sole radiante.
2. REGELATIO. Aqua nivalis subsidet & fluvii solvuntur.
3. GERMINATIO. Gramina revirescunt.
4. FRONDESCENTIA. A vernatione primæ arboris (Padi) in ultimæ (Fraxini).
5. FLORESCENTIA. A vernatione ultimæ arboris, in florem Sedi acris.
6. GROSSIFICATIO. A Sedi florescentia in Cuculi obmutescientiam.
7. MATURATIO. A cuculo ad florem Succisæ.
8. MESSIS. A flore Succisæ in florem Colchici autumnalis.
9. DISSEMINATIO. A flore Colchici in dissestum Hirundinis.
10. DEFOLIATIO. A defoliatione primæ arboris in ultimæ.
11. CONGELATIO. A defoliatione ultimæ in glaciem fluviorum.

11. BRUMA. A prima glacie fixata in nivis discessum.

Pari modo, quemadmodum menses annosque divisos exhibuimus, sic etiam Hominis *Ætatem* in duodecim partes secamus.

ÆTATES Hominis universaliter in tria genera dividuntur: in teneram Juvenilem 1-5; in florentem viratum 6-8; inque maturatam Senectam 9-12 & hæc ætates iterum in suas species subdividuntur.

1 FOETUS. A nativitate ad fontanellæ cranii coalescentiam, quod tactu manifestatur: non risus ante quadragesimum diem. PLIN.

2 INFANTIA. In mutationem primorum dentium, dum Cursus & loquela perfecta.

3 PUERITIA. A renovatione dentium ad pubertatem.

4 ADOLESCENTIA. A pubertate, qua catamenia incipiunt, in Barbam seu tempus quo crescere desinit.

5 JUVENTUS. A barba in dentes sapientiae.

6 ADULTA ætas. A dentibus sapientiae in corporis incrassationem.

7 HEROICA ætas. Summa perfectio; solstitium humum.

8 MATURATA ætas terminatur catameniis cessantibus in femina.

9 REMISSA. A catameniis, seu sterilitate feminæ in canescenciam.

10 VETERANA. A Canescencia in dentium lapsu.

11 SENECTUS. A lapsu dentium ad rugam senilem & curvaturam tremulam.

12 DECREPITA. Si quid ultra. Sic,

Labitur occulte fallitque volatilis ætas. OVID.

Medici Veteres, a tempore Ægyptiorum, ætates Hominis secundum ANNOS CLIMACTERICOS dividere haud raro soliti sunt. (*Κλιμαξ* Græcis scala est, *κλιμάτης* vero annus Scalaris) recentiores autem annos hos lufus

Lusus ingenii judicarunt. Illi vero, septimum & nonum quemque annum climaëticum Annum vocabant, & ex hoc fundamento, annum Sexagesimum Tertium esse periculi plenissimum, ideoque plerique senes eo fere anno vitam cum morte commutant, dum septenarius & novenarius numerus se mutuo secant; etenim si 9 per 7 multiplicetur, factum erit 63.

Numerum Novenarium in medio relinquentes, non possumus infitiari, quin septenarius paullo majoris momenti nobis videatur, si quidem eundem a posteriore, id est, experientia magistra, curatius rimari voluerimus; nam

7 anno *Dentes primores* mutantur.

14 - - *Vox* mutatur hirquitallendo in mare; *mamæ* sororiantur, & *catamenia* incipiunt in sexu sequiore. Genitalia utriusque aperiri & genitura affluere incipit.

21 - - Desinit *Crescere* in longitudinem; *Barba* erumpit in mento & axillis.

28 - - *Dentes sapientiae* exseruntur.

35 - - *Abdomen* pinguedine intumescere incipiat, si unquam.

42 - - *Vitæ summa perfectio*.

46 - - *Catamenia* cessant in femina sterilescente.

56 - - *Cani* incipiunt, & nomina propria difficilius *memoria* retinentur.

63 - - Annus Climaëticus magnus dictus fatalis pluribus. *Venus* langvet.

70 - - *Repuera* scit.

Verum quidem est, hos annos plus minusve abbreviari vel prolongari posse ob effectum diætæ, ita ut Homines, qui in calidioribus regionibus versantur, vel illi, qui calidioribus utuntur, celerius; contra vero qui Climata inhabitant frigidiora, tardius ætatum gradus

confiant; hæc tamen stadia uno plerumque eodemque procedunt atque absolvuntur tenore.

Porro volupe nobis erit oculis veluti depictam subjicere analogiam & conformitatem, quam servat ipsa natura in suis progressionibus, secundum eam quam sic adpellitavimus, Scalam ætatum.

Tempora.

ÆTATIS.

1. Fœtus.
2. Infantia. 1.
3. Pueritia. 7.
4. Adolescentia 14.
5. Juventus. 21.
6. Adulta. 28.
7. Heroica. 35.
8. Maturata. 42.
9. Remissa. 49.
10. Veterana. 56.
11. Senecta. 63.
12. Decrepita. 70.

Anni.

- | | |
|------------------------|------------------------|
| <i>Glacialis.</i> | <i>Antelucanum.</i> |
| <i>Regelatio.</i> | <i>Diluculum.</i> |
| <i>Germinatio.</i> | <i>Aurora.</i> |
| <i>Frondescientia.</i> | <i>Sol oriens.</i> |
| <i>Florescentia.</i> | <i>Zentaculum.</i> |
| <i>Grossificatio.</i> | <i>Antemeridianum.</i> |
| <i>Maturatio.</i> | <i>Meridies.</i> |
| <i>Messis.</i> | <i>Pomeridianum.</i> |
| <i>Diffusinatio.</i> | <i>Cœna.</i> |
| <i>Defoliatio.</i> | <i>Sol occiduus.</i> |
| <i>Congelatio.</i> | <i>Crepusculum.</i> |
| <i>Bruma.</i> | <i>Nox.</i> |

II.

Hac itaque comparatione facta, sequitur ut ipso monstremus opere, quibus mutationibus Homo, & qua corporis formam & qua animi indolem obnoxius sit, quamque dissimilis sibi suique ipsius evadat.

FOETUS vulgo dicitur Homo, quamdiu Embryo intra uterum maternum delitescit, & deinde primis hebdomadibus post nativitatem. Fœtus internus oritur a spumantis libidinis guttula (*Boerb:*), ex qua primum in utero linea alba, *Carina Malpighii* dicta, fundamentum seu primordium systematis nervosi, a Matre orta, & punctum rubrum, *Punctum Saliens* nominatum, seu futurum Cor vasculiferum, cuius solum principium a Patre. Hæ duæ partes jam unitæ hominem futurum consti-

stituent, qui ab tam tenui initio, sensus prope omnes fugiente, instar plantæ radicatus placenta uterina, caule- scensque tuniculo umbilicali, spatio novem mensium, in 16 ad 20 Librarum molem in utero materno succrescit. In hoc suo habitaculo incurvus jacet, genibus manibusque versus faciem complicatis, brachiis & pedibus pri- mum valde gracilibus, oris rictu, medio gestationis tem- pore, dehincente ad aures, capite quam pro reliquo te- nui corpusculo longe majore, ossibus cranii omnino distantibus versus futuras. Pronus deinde in lucem pro- truditur, qua originem valde despectus & humilis, sed pudet atque etiam tædet æstimantem, quam frivola sit superbissimi animalis origo. *Plin.* cuius primum hospi- tium fuit inter stercus & urinam, cujusque prima por- ta despicienda. Tum primum auram vitalem inspirare incipit, ejusque primum futuri fati omen fletu contine- tur; cui nihil scire doctrina, non ingredi, non vesci, nec aliud natura sponte. (*Plin.*) Fœtus hicce miserrimus oculos quidem aperit, *Visu* autem orbatus, ob tunicam Hallerianam intra oculum; neque Auditu quidpiam per- cipit, ob aures coarctatas; nec *odoratu* tantillum quidem sentit, ob sinum pituitarium obturatum, & sinus maxil- lates crescente demum capite sensim aperiendos. *Offa* ejus prope cartilaginea; *Corpus* pulposum & molle; ve- næ plures; Nervi majores, unde sensibilitas major; *Hu- mida* ejus solidis prævalent; unde debilitas. *Suturæ* ca- pitis sensim coalescunt. Secundo anno *Dentes* proveni- unt; initio Tertii anni *loqui* valet & sensim sensimque informatur. Primum ejus alimentum Lac matris esse scimus, a quo primum *Colostrum* expurgat meconium: Deinceps tantum non semper dormit, sæpe ubera su- git, progressu vero temporis magis magisque experge- scit. Ceterum variis morbis obnoxius est, uti Excoria- tionibus, acido spontaneo, Aphtis, dentitioni difficiili, Scabiei.

PUERI-

PUERITIA incipit eo tempore, quo *Dentes primores* decidunt, aliique in illorum locum succedunt. In hac ætate puer constitutus sæpiissime cibum desiderat, non una tamen & simil illum copiosum & nimium; huc illicque discurrendo labore continuo indies corpus exercet impigre, sed defatigationis impatientissimus, non tamdiu singulis occupationibus immoratur, quam potius ipsa rerum varietate se mirifice oblectat; summa illius cura & mentis cogitatio omnis, nugis & gertis interdum sat ingeniosis, lusu vel voluptate frivola continetur, ita ut orbis ipse ad jocum risumque fabrefactus existere eitantum videatur. Metus facile ipsum incutitur, hinc, si acciderit ut nimiis terroribus vexetur, maximum sæpiissime salutis discrimen adit, & damnum haud resarcendum incurrit. Humores in *Caput* attrahuntur, Glandulæ colli interdum a voracitate & indigesto cibo infarctæ evadunt, præsertim deficiente motu; Achores efflorescunt & humeant occiput, unde Pediculi multiplicantur.

ADOLESCENTIA plerumque initium capit anno quarto decimo, quam *Pubertas* utriusque sexus indicat & prodit. *Præputium* jam dilatatur, Sinus pudoris appetitur, *Mammae* sororiantur, *Catamenia* incipiunt, *Geniturae* fons affluere incipit, *Vox* mutatur in masculo, facies efflorescit rubidine, *Oculi* vivaciores radiant, *Memoria* excellit, *Corpus* formatur in justam staturam. Hocce tempore ex rebus mundanis sensuique obviis maximam percipit Homo delectationem, si modo in sua ipsius potestate atque tutela esset, & sine cortice nare licet. Felicem certe illum, qui tempore hujus ætatis corpus suum castum sanctum atque intaminatum servare didicit, & florem juventutis non disperdit. Febres & *Hæmorrhagia* narium communissimi sunt morbi hujus stadii.

JUVENTUS inde usque sua primordia habet, cum corpus in longitudinem excrescere desinit, & *Barba* mentum

tum & axillas reddit hirsutas. Jam corporis exercitio sæpiissime opus est Homini, si umquam alioquin corpus robustum & bene constitutum evadet, & museuli validi firmique erunt. Fundamentum itaque solidum firmumque in præsentia ponatur oportet, si domum firmam futuram volumus, & ætate duraturam. Jam vim suam exserit *Ingenium* incrementaque capit maximā, memoria autem aliquantulum minuitur; quam ob rem scientiæ, si umquam, discentur, certe summo cum studio percolendæ sunt, & familiates reddendæ, namque prout hac ætate tempus bene aut secus collocatur, ita etiam olim Vir futurus est. Jam maxima salubritas, vigor & integritas totius vitæ curriculi. Rari sunt morbi, (nisi dispositio naturalis Hæmoptyseos), unde valetudo temerario identidem periculo exponitur, tanquam ejus nullum fieri posset naufragium.

ADULTA ætas locum habet cum dentes molares, quos vulgo *Dentes Sapientiæ* adpellamus, protruduntur. Corpus plerumque sanum permanet. Homo evadit vir prudentiorem se, immo etiam majore eruditione quam alii se præditum esse sibi persuadet, & ex nimia suæ sapientiæ opinione alios alto supercilie adspicit. In sexu masculo anni nubiles jam adlunt, qui priori, seu juvenili ætate in sexu feminino fuerunt.

HEROICA ætas. Homines hoc tempore in perfectionis summo apice, seu, in solstitio suo æstivo consti-tuti sunt, si robur corporis, ingenii, sanitatis & virium spectare voluerimus. Nisi hoc tempore pingvescere incipiat Homo, vix umquam multum facit corporis; plurimi infantes hoc tempore procreantur, & consequentia puerperiorum officiorumque gravissima animum exercent curaque adficiunt. *Colica* & *Hypochondria* interdum sese produnt.

MATURATA ætas non multum differt a priori

viribus, sanitate, & ingeniosæ mentis agitationibus. Ceterum educationi liberorum invigilat cura.

REMISSA ætas maxime conspicitur in sexu sequiore, dum catamenia cessant cum sterilitate; atque ut auctumni primum esse solet signum turbidus aër, sic paululum inclinatae ætatis indicium variæ fragilitates existunt; quam ob rem jam maximæ fit curæ conservatio sanitatis, & diætæ observatio adcuratior. Arthritide, Calculo, & obstructionibus sæpe laboratur, & vitæ gravitas augetur.

VETERANA. *Cani* Jam oculis se præbent conspiciendi, ut tempore auctumnali pallida arborum folia. *Vifus* debilitatur, *Aures* non adeo distincte ut antea sonos percipiunt, nomina propria non facile Memoria retinentur; jam langvet in corpore virtus; emeritus jam miles mittitur; jucundæ familiaritates & gratæ olim consortiones non ulterius multum oblectant, vanisque rebus haud amplius creditur, amicitiæ lubrica fide jam demum animadversa.

Nec, Juveni lufus qui placuere placent.

OVID.

SENECTA. *Dentes* jam, alii ex aliis, sensim decidunt, illi enim, qui in juventute tam alte in alveolis suis defixi fuerunt, nunc elevati altius, vacillant; *Pedes* nimia lassitudine confecti corporis grave pondus sustinere vix valent, quod tamen in ætate juvenili non sentiebant, quare etiam minus quam par est in altum tolluntur, & citius sæpiusque titubant & in obvia offendunt; quæcumque audiunt, eorum mox obliviscuntur, & ipse animus obdurecit & ægritudinem cum morositate contrahit; curvantur senio membra, corpus riget, caput in terram & versus sepulcrum nutat, sic

*Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
& fugiunt freno non remorante dies.*

OVID.

Se-

Pauci ad hoc pervenient stadium ,
si qui fuerint autem , hi s̄epissimē repuerascunt ; cor-
pus exsiccatur , manus tremulæ evadunt , curæ & mu-
dana oblivioni traduntur .

*Serius aut citius sedem properamus ad unam ,
Tendimus Huc omnes , haec est domus ultima.*

OVID.

§. III.

In his stadiis jam porro videbimus quomodo ho-
mo , suos per gradus eundo , sensim sine sensu mutetur ,
ut , facta contentione , primum inter & ultimum quid
intersit pervideamus .

CALOR , *Pulsus* intra minutum 130 , ultimo
vix 50 sunt .

- 1 *Foetus* Sudans in cunis continuo .
- 2 *Infans* Roridus , præsertim sub somno .
- 3 *Puer* Tepens corpore & humidus .
- 4 *Adolescens* Transpirans .
- 5 *Juvenis* Calens ; cor & vasa in æquilibrio .
- 6 *Adultus* Fervens , calore summo excandescens .
- 7 *Heros* Temperatus .
- 8 *Maturatus* Defervescens .
- 9 *Remissus* Refrigeratus .
- 10 *Veteranus* Algescens .
- 11 *Senex* Frigidus .
- 12 *Decrepitus* Gelandus & siccus .

ROBURATIO . Fibræ primum gelatinosæ , sensim
obrigescunt in tendines & tendines in ossa .

- 1 *Foetus* Gelatinosus ossibus cartilagineis ; cavendum
ne distorqueatur .
- 2 *Infans* Pulpofus a vasis numerosissimis .
- 3 *Puer* Flexilis , ut talos post collum retorquere possit .
- 4 *Adolescens* Alacris , currendo dat saltus .
- 5 *Juvenis* Elasticus , maximo corporis vigore & agi-
litate .

6 *Adultus Nervosus*, præditus viribus cum agilitate
conunctis.

7 *Heros Robustus*, jam maximo gaudet robore, atque laborem gravem perfert.

8 *Maturatus Solidus*, viribus etjamnum gaudet, & oneri est ferendo par.

9 *Remissus Firmus*, sed viribus deficere incipiens.

10 *Veteranus Rigens*, membra corporis obrigescunt.

11 *Senex Durus*, sanitate & viribus debilitatus.

12 *Decrepitus Fragilis*, & pedibus vacillans.

MOTUS. Nervi rigescunt.

1 *Fætus jacens*.

Editus in lucem jacuit sine viribus infans. OVID.

2 *Infans Labens* saepius dum obambulat.

3 *Puer currens* indesinenter.

4 *Adolescens Agilis* ob flexiles tendines.

5 *Juvenis Vigorosus* ob summam elasticitatem tendonum.

6 *Adultus Athleticus*.

7 *Heros Pancratice vivit & exercetur*.

8 *Maturatus Tenax* in exercitio.

9 *Remissus lentescere* incipit.

10 *Veteranus tardus*, cessante promptitudine.

11 *Senex titubans* ob pedes non elevandos.

12 *Decrepitus Succumbens*.

APPETITUS Variat etiam ætate.

1 *Fætus Dormiens* fere continuo.

2 *Infans Laetens* ubera.

3 *Puer jocosus*, a seriis alienus.

4 *Adolescens petulans* (petulantissimus omnium animalium. ARIST.)

5 *Juvenis Helluo*.

6 *Adultus Asotus*, symposiis delectatur.

7 *Heros Illeitus.*8 *Maturatus Frugalis.*9 *Remissus Diæticus incipit esse.*10 *Veteranus Sobrius, cautius mercatur.*11 *Senex Abstemius cibi & veneris.*12 *Decrepitus jejunans.*

AFFECTUS. Non placent lusus, qui placuere quoniam.

1 *Fætus Incurius.*2 *Infans Ridens.*

Incipe parve puer risu cognoscere matrem.

3 *Puer ludens equitat in arundine longa, &, cum Horatio, gestit paribus colludere: & mutatur in horas.*

4 *Adolescens Jocat, lascivit.*5 *Juvenis Hilaris: sic semper lati sunt studia.*6 *Adultus studet si umquam & animus fervet.*7 *Heros Tranquillus.*8 *Maturatus Placidus.*9 *Remissus Sedatus.*10 *Veteranus Severus.*11 *Senex Tristis.*12 *Decrepitus suspirans & tenax.*

ANIMUS alio tempore aliter cogitat.

1 *Fætus innocens.*2 *Infans mutabilis.*3 *Puer Timidus.*

4 *Adolescens Profusus & prodigus; credulus, quia non dum deceptus.*

5 *Juvenis Liberalis & munificens.*

Magnanimus excellentiam appetit. **ARIST.**

6 *Adultus Animosus, gloriofus.*7 *Heros Comis*8 *Maturatus Moderatus.*

9 *Remissus Frugalis.*

10 *Veteranus Cautus.*

11 *Senex Avarus, suspiciosus.* ARIST. Senes omnia
in deteriore partem interpretantur; Suspicio-
si propter incredibilitatem; increduli vero pro-
pter peritiam. ARIST

12 *Decrepitus Incurius, putillanimus.*

*Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
difficilis, querulus, laudator temporis acti-
se puer, censor castigatorque minorum.*

HORAT.

SCIENTIÆ. Cerebrum sensim obdurescit.

1 *Fætus Stupidus.*

2 *Infans prima litterarum elementa & syllabas confi-
cere dicit.*

3 *Puer integra verba pronunciat, & vocabula me-
moriæ mandat.*

4 *Adolescens Grammaticam & Linguas tractat.*

5 *Juvenis Scientiis operam navat.*

6 *Adultus sibi sapiens soli; Se scire omnia opinatur.*

7 *Heros Laborat & cum ratione agit, atque judicat.*

8 *Maturatus prudens & peritus.*

9 *Remissus cautus & diffidens.*

10 *Veteranus Memoria minus fida aut secunda.*

*Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.*

HORAT.

11 *Senex judicium debilitatur.*

12 *Decrepitus repuerascit; sic addiscimus in futuram
oblivionem.*

FUNCTIONES. Vita evigilat indies magis magis-
que.

1 *Fætus dormit fere continuo.*

2 *Infans oscitat quasi exsuscitandus.*

3 *Puer evigilat sensim tamquam e somno.*

4 A.

- 4 *Adolescens* exsurgit, incepans **opera**.
- 5 *Juvenis* opus adgreditur nunc aut numquam.
- 6 *Adultus* operatur; ex grossō fructus.
- 7 *Heros* laborat in funzione.
- 8 *Maturatus* desudat, ut acquiret laboris praeium.
- 9 *Remissus* lentescit negotiis & muniis.
- 10 *Veteranus* lassatur, nec diu perfert labores.
- 11 *Senex* cadit & succumbit oneri.
- 12 *Decrepitus* discedit.

SERMO.

- 1 *Foetus* mutus & ejulans.
- 2 *Infans* balbutiens.
- 3 *Puer* garrulus.
- 4 *Adolescens* memoria excellit.
- 5 *Juvenis* ratiocinans argumentis.
- 6 *Adultus* judicans omnia quasi ex tripode.
- 7 *Heros* Orator facetus.
- 8 *Maturatus* Dissertor strenuus.
- 9 *Remissus* Declamator patheticus.
- 10 *Veteranus* Scriptor optimus ex locupleti sinu.
- 11 *Senex* conticescens, nisi coactus.
- 12 *Decrepitus* obmutescens.

VENUS. Utī ignem concipimus metaphorice.

- 1 *Foetus* Fovilla, vix calor.
- 2 *Infans* Scintilla.
- 3 *Puer* fumat, sed stimulum veneris non dum sentit.
- 4 *Adolescens* incandescit, accenditur & circumspicit,
sed pudet: *Cæco carpitur igni.* VIRG.
- 5 *Juvenis* excandescit, flamمام concipit.
- 6 *Adultus* Flammat & Iponsalia meditatur.
- 7 *Heros* ardet nuptiis.
- 8 *Maturatus*. Focus urit, prolem exoptat.
- 9 *Remissus* conflagrans; natos educat.

10 *Veteranus Pruna*; Familiam promovet.

11 *Senex Nepotibus* delestat.

12 *Decrepitus Cineres*.

DIÆTA & morbi in diverso stadio vitæ diversi, sed in his mihi otium fecit D: Örquist, in dissertatione de *Diæta per scalam ætatis*.

§. IV.


Hisce itaque stadiis humanis, a se invicem distan-
tibus, jam percursis animoque perlustratis, & visa di-
versitate longe maxima, quæ miris modis inter foetum
& Decrepitum adeo elucet, ut, quantumvis numero
eandem efficiant personam, vix ac ne vix quidem pro una
cademque agnoscendi queant; quod ex adjecta Scala æta-
tum summatim complestar in adposita *Tabula* (*);

Supereft ut brevi summatimque facta conclusione,
annorum Juvenilium & Senectutis inter se comparatio-
nem instituamus, quorum illos adpellabimus *annos ante*
viratum adultum, hos vero *annos post viratum maturatum*
nominabimus. Quod quidem ut eo melius fiat, Ho-
minis consideratio duplex erit, una *formæ* atque stru-
eturæ corporis, altera *mentis* animique indolis.


<i>Juventuti</i>	<i>CORPUS</i>	<i>Senectuti.</i>
<i>Corpus</i> farctum, flexible,		
erectum.	Macre, rigidum, curvum.	
<i>Cutis</i> lœvis, plana, nitida, Rugosa, præsertim circa Fron-		
tem, opaca.		
<i>Artus</i> firmi,	Tremuli.	
<i>Pili</i> colorati, comosi,	Cani; calvities.	
<i>Genæ</i> floridæ,	Pallidæ.	
<i>Vires</i> robustæ, agiles,	Lassæ, diminutæ, rigidæ.	
<i>Appetitus</i> vorax,	Vix ullus.	
<i>Somnus</i> copiosus, profundus, Pervigilæ.		
<i>Dentes</i> demersi, robusti,	Rari, elevati, & alte positi.	
		Sen-

SCALA AETATUM.

	<i>1. Calore.</i>	<i>2. Robore.</i>	<i>3 Motu.</i>	<i>4 Appetitu.</i>	<i>5 Affectu.</i>	<i>6 Animo.</i>	<i>7. Scientiis.</i>	<i>8. Functione.</i>	<i>9. Sermone.</i>	<i>10. Venere.</i>
FOETUS.	Sudans.	Gelatinosus.	Jacens.	Insensibilis.	Lacrymans.	Innocens.	Stupidus.	Dormiens.	Ejulans.	Favilla.
2. INFANS 7.	Roridus.	Pulposus.	Labans.	Laetens.	Ridens.	Mutabilis.	Abecdarius.	Oscitans.	Balbutiens.	Scintillans.
7. PUER. 14	Tepens.	Flexilis.	Currens.	Jocosus.	Ludens.	Timidus.	Verbalis.	Evigilans.	Garrulus.	Fumans.
14. ADOLESCENS 21.	Transpirans.	Alacris.	Agilis.	Petulcus.	Jocans.	Profusus.	Philogrottus.	Exsurgens.	Memor.	Incandescens.
21. JUVENIS. 28.	Calens.	Elasticus.	Vigorosus.	Helluo.	Hilaris.	Liberalis.	Scientificus.	Inceptans.	Ratiocinans.	Excandescens.
28. ADULTUS. 35.	Fervens.	Nervosus.	Athleticus.	Afotus.	Audax.	Animofus.	Philautus.	Operans.	Judicans.	Flammans.
35. HEROS. 42.	Temperatus.	Robustus.	Pancreticus.	Illeitus.	Tranquillus.	Comis.	Judiciosus.	Laborans.	Orator.	Ardens.
42. MATUS. 49.	Defervescens.	Solidus.	Tenax.	Frugalis.	Placidus.	Moderatus.	Prudens.	Desudans.	Dislertor.	Urens.
49. REMISSUS. 56.	Refrigeratus.	Firmus.	Lentus.	Diateticus.	Sedatus.	Frugalis.	Circumspectus.	Langvens.	Declamator.	Conflagrans.
56. VETERANUS 63.	Algescens.	Rigens.	Tardus.	Sobrius.	Severus.	Cautus.	Immemor.	Delassatus.	Scriptor.	Pruna.
63. SENEX. 70.	Frigidus.	Durus.	Titubans.	Abstemius.	Tristis.	Avarus.	Obliviosus.	Cadens.	Conticescens.	Carbo.
70. DECREPITUS.	Gelidus.	Fragilis.	Succumbens.	Jejunans.	Suspirans.	Incurius.	Taciturnus.	Discedens.	Obmutescens.	Cineres.



<i>Sensus vivaces.</i>	Hebetes.
<i>Oculi pleni, radiantes.</i>	Plani; Presbyteria.
<i>Humores mites, pingves.</i>	Acres.
<i>Vasa numeroſa, parva.</i>	Pauca, dilatata.
<i>Cor majus, Vasis validius.</i>	Proportione minus debilius.
<i>Pulsus citatus.</i>	Tardus,
<i>Calor maximus.</i>	Minor.
<i>Cerebrum molle, ſomno.</i>	
lentum.	Siccum, vigil.
<i>Cranium futuris diſtinctum.</i>	Consolidatum futuris diploë.
<i>Glandulæ (Thymus, Parotis,</i>	
<i>Sublingvales Atrabiliariæ.)</i>	
<i>Testiculi Renes.</i>	Majores, omnes extenuatae.
<i>Cartilaginiſ tendinesque</i>	
tenaces, molles.	Indurati in os.
<i>Pinguedo.</i> copiosior a vasis	
laetoris copiosioribus.	Macies a consolidatis.
<i>Carnes teneræ, molles.</i>	Duræ, tenaces, tendinofæ.

*Juveni**Seni*

Pudor & timiditas.	Obdureſcentia animi.
Misericordia & benignitas.	Occaluit.
Liberalitas.	Avaritia.
Pietas.	Obduratio ob conuerſationem.
Sinceritas, animus apertus.	Animus tectus cautusque.
Levitas & mobilitas.	Gravitas & constantia.
Facilitas.	Morositas.
Lætitia & audacia.	Melancholia & desperatio.
Æmulatio laudabilis.	Invidia maligna.
Philanthropia in alios.	Sibi sapere.

C

Præ-

Præsentibus rebus favere. Ante acta potiora habere.
 Magna appetere. Necesaria curare.
 Bene sperare. Diffidere.
 Valde velle. Moderatio & hæsitatio.

Veral. Sylv.

Heu! quantum mutatus ab illo.

S. D. G.



38
pt. 6